DE SERVANDA SANITATE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Antonio Massaglia

DE

SERVANDA SANITATE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS RECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NECNON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. JOSEPHO MORETTI

Botanices Prof. Ord.

CUM ANNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Anno MDCCCXLI

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

MASSAGLIA ANTONIUS

TICINENSIS.



TICINI REGII

Ex Typographia Fusi et Socii.



A ☧ Ω

MEMORIÆ CARISSIMÆ

PATRIS MEI OPTIMI

P. MASSAGLIA

MEDICINÆ AC CHIRURGIÆ DOCTORIS

INAUGURALEM HANC TENUEM DIATRIBAM

VOVET FILIUS.

PRELOQUIUM.

Vuolsi così colà dove si puote
Ciò che si vuole, e più non dimandare.
Dante inf c 3.

Duo extant fata, quae vitam hominis deteriorem reddunt, quaeque mortalis anxie evitare cupit: misera nempe *aegritudo* et *brevitas vitae*. Duae vero e contrario sunt felicitates quae humanam nobilitant vitam, quasque homo avide concupiscit, *sanitas* scilicet, et *longaevitas*.

De longaevitate adipiscenda quaedam adducere ex professo nunc non intelligo; sed unice tantum modum sanitatem conservandi propositurus sum, cum haec non solum avido quaeratur animo, sed etiam saepe prae longaevitate aestimetur. Et revera quid est

longaevitas aerumnis morbisque circumdata, nisi multis annorum decursibus torqueri, et misere vivere diu? Deinde, quid divitiae honores et alia decora prosunt, quando salus abest?

De hac tamen in hoc libello sermocinabor non tantum, sed et in medium proferam omnia quae in potestate et manibus hominis ad eam conservandam valent.

Lector benigne, nil novi in his pagellis reperiebis. Sum tyro, munere meo fungor... tantum sufficit!

Sanitatis definitio, descriptio, et phisiogenia.

Dum omnes actiones in corpore vivo placide, jucunde absque molestia decurrunt, tunc sanitas videtur adesse. Quapropter si recte definire sanitatem velimus, his verbis eam nuncupare oportet: *legitima et integra constitutio atque dispositio omnium partium corporis ad actiones naturaliter edendas, temperamento, sexui, aetati, competentes.*

Vir sanus et mediae aetatis typus est: attamen, uti in sequentibus patebit, aliam degens aetatem non excluditur. Hic firmis incedit passibus, erectum gerit caput, artus tenet agiles, robusto constat trunco, facie superbit florida, lynceis contemplatur oculis, apri audit auribus (ut ait poeta), volubili

praeditus est lingua, et tota externa machina ita figurata et formata est, ut nihil vitiatum reperiatur, quoad magnitudinem, longitudinem, rectitudinem, numerum et positionem. Omnia in suo ordine et loco sita atque constituta taliter existunt, qualiter Natura exigit, et inde actiones cuilibet parti competentes exerceri actuarique possunt.

Ex hisce vero nondum sanus judicatur homo, sed et interiora perlustrare debemus. Sanus ideo ille merito audit, qui sagaci gaudet ingenio, difficilia in moralibus et naturalibus abscondita perscrutatur, mente revolvit praeterita, objecta sibi repraesentat et concipit sicuti in re et veritate naturae existunt, falsum a vero dignoscit, fronte menteque serenus, hilaris, humano delectatur consortio, non incedit oculis torvis, nec fugit sodalitia humana, moestus aut morosus absque causa.

Deinde functiones omnes in individuo sano bene peraguntur. Bene ingerit, digerit et egerit, mas potens, et mulier, (si aetas competens adsit), faecunda, instructa uberibus dulce nectar lacteum stillantibus, si puerpera. Calor non immutatus nec adauctus, respiratio libera, et pulsus moderatus, regularis, aequalis, ictu chordis isocronus.

Sistit ergo sanitas in quadam symetria partium, (ut ait Galenus), aut constitutione qualis naturaliter desideratur, ut exinde effectus naturalis, aut debita actio resultare queat. Vel si simpliciter dicere malimus, sistit sanitas in primitiva bonaque congenita organismi structura, et in statu sanguinis a quo omnes functiones vitales pendere solent.

Gausae quae hunc statum bonum solidorum et fluidorum abripere possunt, hic non enumerantur, nec oportet. Dicam potius quomodo sanguis ad sanitatem conservandam actionem suam exerceat; nam partes solidae, uti videbimus, secundarium obtinent locum si in utero bene efformatae evasère; nisi, (quod plane forte), ab extrinsecis injuriis labes adducatur, quas homo non semper evitare valet.

Sanguis pabulum vitae, constituit liquidum vitale, fundamentale, ex quo reliqui humores prosiliunt, constitutioni, vitae, atque sanitati necessarii. Hi humores in nobiles et ignobiles divisi, sunt plurimi, multiformes, ponderabiles atque imponderabiles. Vis nervea vel spiritus animalis instrumentum animae pro sensu atque motu exequendo, calor animalis, liquor seminalis,

lac, lacrimae, sinovia, mucci etc. non a sanguine efformantur? et semen, et saliva, et insensibilis transpiratio, et urinae etc.?

Ergo igitur si naturaliter hae omnes functiones peragere debeant, oportet ut sanguis normalis evadat. Adeoque qui sanitatem tueri cupit, studeat et conetur, sanguinem servare in naturali *quantitate*, *qualitate*, et *motu*. Quantitas, nec excedat nec deficiat; qualitas atque crasis partium sanguinem constituentium, non sit naturae onerosa; et motus, non ultra naturae exigentiam excessivus, nec deficiens. Hic tamen motus, (exceptis causis moralibus pancisque aliis, de quibus infra plura monebuntur), ut plurimum dependet a naturali et non molesta quantitate atque crasi debita. Tunc placide pervadit vasa, viscera eorumdemque poros, unde sequitur non tantum formaliter naturalis enutritio et augumentatio, sed etiam debita sequestratio, sive partium maxam sanguinem deturpantium excretio. Ipsae partes solidae ab illo nanciscuntur emolumentum, quia hae debite enutritae spirituumque influxu tensae, debitum vigorem ac tonum obtinent, ut quaelibet possit suam functionem uti decet atque exposcit naturalis status, praestare.

Instrumenta quae sanitatem servant.

Pars medicinae principalis, *hygiene*, sanitatem conservans, *sex* utitur collective instrumentis, quorum usus generice *dieta* audit:

1. Aër,
2. Cibus et potus,
3. Motus et quies,
4. Somnus et vigilia,
5. Animi pathemata,
6. Excreta et retenta.

Has oportet legitime impendere, si sanitas conservari debeat; ut vero clare patescat modus impendendi, descendimus statim ad earundem pertractationem.

1. *Aër.*

Cum receptum sit in nostris scholis quod inter dietetica remedia primum locum aër teneat, ideo etiam de eo in primis disseremus.

Quantae vero utilitatis imo necessitatis sit pro continuanda vita, conservandaque sanitate aër, quotidianus loquitur eventus. Jam a suo aevo recte Galenus scribebat: *a cibo potuque ad duos tres vel plures dies, ab*

aere vero non tam diu abstinere possumus. ... Sine aere, nec tolli nec teneri potest sanitas.

Ut vero sanitatis effectus clarius innotescant, non oportet ut vel definitionem vel distinctionem ipsius adnotemus: hoc enim Physicis pertinet, et *ubi physicus desinit, ibi medicus incipit.* At potiori fine utpote medicus perscrutabor quali modo aer nos arcte atque constanter cingens, vel *emolumentum* vel *detrimentum* nobis adferat.

Pro conservanda sanitate notanda est aeris differentia petita a loco, tempore, mutatione, aut universali aut particulari. — Temperatior in Gallia; calidior et siccior in Italia; purior et serenior in montibus, convallibus, et sylvis; gravis spissior mephiticus in locis paludosis, fluviosis, maritimis; frigidior tempore hyemali ferit corpora; calidior exaestuat aestivus et canicularis etc. Deinde, solstitia, aequinotia, eclypses solis et lunae, aliorumque syderum motus atque influxus diversus, qualitatem aeris certe modificant. Sed hasce universales mutationes quae ubique locorum omnique tempore contigunt, homo evitare nequit, sed patienter exinde dependentem noxam perferre cogitur. Ideo potius ea tangemus quae

evitari aliquantisper possunt, et ita imminentia sanitatis pericula avertemus.

Injuriae aëris a loco dependentes et evitabiles sequentes sunt: qualitas universalis et in extensa regione spectata: quapropter si aër temperamento alicujus individui improportionatus atque molestus evadat, tunc, ab illo est evitandus. Alia nempe regio quaerenda est, in qua aër spirat suo genio sive temperamento salubris. Tamen talis mutatio moderata esse debet, et per medium peracta; omne enim extremum, naturae obnoxium. Ideo e locis frigidioribus transire in extreme calida periculosum est, nti et Hippocrates ait: *omnis mutatio*, (*nempe vehementior et extrema*), *est valde periculosa*.

Quam ob rem, homo biliosus, chòlericus, migret in aërem temperatum aut frigidiusculum: prospiciet suae sanitati nervosus, in locis ubi aër est subtilior atque calidior: sanguineus, in coelo nimis temperato, atque lyphaticus sicco etc.

Aër a particulari loco desumptus est ille qui in urbis, arcis, oppidi, fortalitii, pagi, domus, situatione diversa, diversis inquinatus est miasmatibus. Aër, vaporum et exhalationum salutiferarum vel insalubrium con-

nunc est receptaculum: itaque, optimum habitaculum et salubre, situm esse debet in loco elatiori et sylvis circumdato, hortis, plantis (plantae enim carbonicum acidum absorbentes, et oxygenium exhalantes, aerem depurant, magisque salubrem reddunt): non paludibus, terrae fundinis, nec numerosa copia hominum aut animalium vitiato. Excrementis enim horum putrescentibus, inquinatur aer. Tandem sit ad meridiem vel ad orientem situm habitaculum.

Nunc ut aliquid dicam de mutationibus aeris quae subito contingunt, dum videlicet excessive sit calidus, ac statim extreme frigidus fiat, aut versavice. Talis repentinae mutationes, loquente quotidiana experientia, sanitati hominis nocivae sunt, quas in totum vero evitare non possumus, sed solummodo aliqua evitatio in nostra est potestate, dum nos aeri frigidiori, humidiori longo tempore non exponimus, et si tamen urget necessitas, oportet ut corpus vestimentis probe defendatur, et transpiratio conservetur. Tali modo si repentinam mutationem sufferre debes, detrimentum probabiliter non habebis.

2. *Cibus et potus.*

Primum elementum atque scaturigo sanguinis chylus est. Ideo et vetres dicebant: *qualis chylus, talis sanguis: qualis sanguis, talis sanitas*. Ergo bonam digestionem servare oportet, et stomacho praebere ciborum sanam collectionem.

Ante omnia, ut a cibo et potu fractae vires refocillentur, et nova materies idonea sanguini suppeditetur, semper in primis curanda est *quantitas* alimentorum, ne vel excedat vel deficiat: omnis enim excessus nocet. Quantitas ergo sit in medio constituta, et accurate proportionata subjecto; quod multiplex est, ratione sive aetatis, sexus, vitae generis, consuetudinis. Tenelli enim infantuli, non solum exposcunt cibi quantitatem uti juvenes et adulti, sed etiam quantum sufficit pro eorum conservanda salute, atque fundamentis futurae vitae ponendis.

Quapropter recentes nati, cholostro et lacte matris vel sanae nutricis vescantur per integrum annum, donec comedant pultas ex mica panis, vel ex farina frumentis cum lacte vaccino. — Deinde adultiores facti, non carnes in nimia quantitate, sed

panem in die pullorum immissum etc. Si juvenes et viri facti, novum ordinem ciborum petere possunt. Carnes et praecipue avium, vitulorum, et generatim animantium juniorum, quae coctionem tulerunt, non in aqua cocta, at cum butyro. Lentes vero, fabae, et omnia leguminia, e culina maxime litteratorum eliminanda sunt. Cibus vegetabilis sanus, pertinet ad familiam cruciferarum uti essent *carabes maritima*, *brassica oleracea*, *rapa*, etc. — At nunc quaestio oritur quoties de die cibus sumendus sit. In aetate prima, hic porrigatur per quatuor vel quinque vices in die; deinde aliquid paltis bis de die, lacte jam sumpto. In aetate consistente vero, sufficit prandium et coena, exceptis illis qui vitam in laboribus et exercitiis corporis durioribus agunt. Senes denique, (juxta Hippocratem), minore quantitate pabuli contenti esse debent, nam vires digerentes, in illis valde generatim languidae evadunt.

Modus dein utendi et assumendi cibi attendendus est, ne scilicet omnina gula alimenta sine sufficienti masticatione deglutiantur: masticatio enim est, uti physiologi docent, digestionis principium, et saliva quae cibis immiscetur functione solventur fungitur.

Itaque, cibi nimia quantitate non ingurgitandi sunt, dolores enim ob nimiam distensionem ventriculi facillime enascuntur ob nervorum pressionem, non solum; at alimenta nimia in copia sumpta, cum exhonerant, vires ejus digestivas infrangunt, et saburrhas, chylumque impuriorem gignunt.

Restat, ut de potulentis aliquid dicamus. Debita in quantitate sumpta, auxilium magnum digestioni ferunt. Aqua primum tenet locum, aqua, quae primis mundi temporibus absque dubio unicus potus erat, nostris vero faucibus vilior, et pro reficiendo corpore insufficiens putata. Aqua bona scaturire debet e loco mundo et puro, versus orientem sito. Gustus suus sit suavis, et expers alieni saporis, levis, limpida, et *celeriter*, ut modernus loquitur, *praecordia permeet*, id est, non gravare ventriculum debet, vel secretionem urinarum retardare.

Post aquam vinum primum occupat locum. De hoc potulento non dicam, nam satis laudatum fuit. Sic de cerevisia, de potionibus ex herba Theae, seminibus Cofaeae, aut chocolada confectis. Tantum addo ut hi potus nec nimis frigidi, nec nimis calidi hauriantur.

3. *Motus et quies.*

Quoad motum peccari potest vel *defectu* vel *excessu*. Defectus *otium* nominatur, vel *quies immodica*. Otium in animis vitia parit; ab otio, in medicina, morbi causantur ideo otium angue pejus est fugiendum; labor enim corporis sanitatem servat, quando excessivus non sit, nam tunc vires franguntur, calorque febrilis producitur.

Singulo diei momento itaque motus equidem cieri potest, dummodo corpus sit vegetum et viribus constet: post pastum tamen non statim, sed quies per unam saltem horam concedenda est, ne spiritus animales in alia organa dispertiantur, et ventriculi actio ob eorumdem influxum imminuatur, et chimificatio atque chylificatio turbetur.

Gravidae abdomen cum utero non concutiant, nec aliis laboribus intempestivis incumbant, ne partus praematurus efficiatur. Deambulatio modica, boni cibi, et quies illis suadenda.

4. *Somnus*, et *vigiliae*.

Motui ac quieti, succedunt *somnus* et *vigiliae*. Vigiliae sunt sensuum exercitium, et longior spiritnum in partes distributio, vel motus protractus. Quapropter a fusiori explanatione abstinemus et de somno tantum pertractabimus.

Modum, *tempus*, et *locum* dormiendi valde juvat definire. Modus dormiendi sit decubitus in latere dextero; caput paulisper elevatus; manus depositae, non erectae supra caput, ita enim facile contenta in ventriculo alimenta digesta per pylorum in intestina descendunt, malaque insomnia vitabuntur. Corpus tegendum est plus minusve sicuti coelum fert, et praesertim, ut Ippocrates monet, pedes.

Tempus dormiendi est nocte. Qui circulum diei in XXIV horas determinant, octo horas pro somno, octo pro laboribus, et octo pro recreatione, tum corporis tum animi, concedere debent. In hisce tamen, uti de cibo ac potu, certa quantitas assignari non potest, nam variare licet juxta individuum. Quilibet sit sibi medicus, et proficua seligat, et noxia fugiat.

Cubiculum ac lectum, temperatum calorem habere debent.

2. *Animi pathemata*

Pathemata animum valde occupantia corpus et valetudinem infringunt, ob intimum commercium animae cum corpore et viceversa.

Animi pathemata in duplicia dividuntur. Nonnulla sunt deprimentia, nonnulla excitantia. Deprimunt timor, terror, tristitia, aerumnae domesticae etc. Concitant et excitant ira, gaudium nimium, amor immodicus etc.

Haec si gravius irruunt in mentem, omni tempore, omni aetati, omnique sexui noxas inferunt molestissimas: quapropter quovis modo arcenda atque fugienda sunt.

At amor, et gaudium moderatum, vitam protrahunt sanitatemque servant: spiritus enim in gaudio ac amore temperato, per nervos in omnes partesque totius corporis placide distribuuntur, unde vigor partium servatur, et bene omnes functiones peraguntur. Excessum gaudii contra, mortem causare viderunt auctores: ab amore immoderato maxime venereo, interdum delitia furio-

sa, epilepsia maxime si effectum cui amans intendit, obtineri non possit.

Appendicis ad instar hujus capituli *studium* adnotabo; studiosae enim juventuti loquor.

Studia si debito moderamine instituantur, ingenium exacuunt, spiritusque agiliores reddunt. Si vero intemperate libris affixi haereant studiosi, sanitas periclitatur non solum ob vitam sedentariam, (quam evitare nonnulli cupiunt, dum deambulando libros perlustrant); at mens nimis occupata laxatur. Studia requirunt corpus viribus plenum; hinc senibus et cachecticis nocent. Pueris praematura studia praemoture canescentiam sollicitant. Dispositio nativa etiam attendi meretur: nam aliquamdiu frustra ex pumice elicitur aqua.

Tempus studendi est matutinum et vespertinum. *Aurora est musis amica*, et silentium nocturnum studiosis favet. Dein non semper studendum, sed etiam quies animi interponenda est: nec ultra duas horas in uno continuo studio inhaerendum est.

6. *Excreta et retenta.*

Progredior ad *excreta* et *retenta* vel uti illis placet *excernenda* et *retinenda*, et finem faciam.

Scimus in corpore humano reperiri humores; *idoneos* scilicet, et *excrementios*, sive *inutiles*.

Humores inutiles eliminari suo tempore debent per renes, poros cutis, nasum, alvum, uterum etc. Hi tales possunt et retineri plusve minusve, sine detrimento.

De humoribus inutilibus evacuandis non dicam, nam in sanitate per se facile evacuantur. Solum docebo quando secundi evacuandi, et sunt, et quomodo. Inter hos enumerabimus tantum, *lac* et *semen*.

Lac in puerpera sana, est dulcis, suavis, nutritivus, pendet enim a qualitate alimentorum. Ergo si puerpera conservare lactem ejusmodi in statu cupiat, seligat bona alimenta, atque pathemata animi fugiat. Itaque suum infantem nutrire debet cum illo, non illum spernere.

Et semen pendet ab alimentis, tamen rare evacuare debemus. Frequentior vero seminis excretio morbos gignit, spiritus

animales exhauriuntur et subsequitur melancholia, tabescentia, et mors.

Non solum excessiva et immoderata, sed et nimis temperata frigida Venus interdum parit morbos. In cauto enim veneris usu stat salus.

Tempus coeundi optimum esse plurimi auctores censent diluculum, ubi ventriculus adhuc vacuus, et vires per somnum restauratae sint. Absit actus venereus in exhaustis a morbo, curis, studiis, laboribus, aetate. Veneri soli faveant juvenes et viri robusti, ac bene nutriti.

Pauca haec sunt, candide lector, quae mihi fas fuit disserere. Non enim quae mallem, sed quae didici, scribere conatus sum. Vale.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Medici virtuti saepe saepius mirificas sanationes vulgus tribuit, quas omnino natura perficit.

II.

Urinarum aucta secretio causa non est hydropis sanationis, tantum vero effectus.

III.

Profunda melancholia a virium vitalium inopia, prodit.

IV.

Omnes dolores nervosi.

V.

Homines temperamento sanguineo donati, fere semper ingenio mediocri instruuntur.

VI.

Aqua remediorum princeps.

VII.

Sulphas chininae virtute deprimenti pollet.